



nos infelicitè depugnare satagunt Sociniani, tela nobis ministrare, quibus ista impietas iuguletur. Non itaque, quem ad modum defenditur ab impiis Socinianis, *b)* Deus hic analogicus tantum, sed verus ille, cum Diis analogis atque improprie sic dictis comparatur. Non Dii analogici ita ab omnibus aduersitatibus homines liberare, atque contra insultus Satanae tueri possunt, vt nemo pereat illorum, sed omnis queat, si modo ipse velit, vitam aeternam adipisci, quem ad modum id Iesus de se ipse dicit. Non tanti Dii, improprie sumti, nominandi sunt, quantus omnium maximus pater, et si concludere legitime potes, filius ipse, verus Deus vocatur. Non talia Dii, improprie sumti, opera, quae patri tantum adscribuntur, et quae de se Saluator iterum ipse, si consequentium cum primis copulatio spectetur, praedicauit, possunt perficere. Ergo nec dari atque adsumi potest, hic Deos tantum improprios, quales personae magistratus interdum vocantur, inter se collatos fuisse.

§. XIII.

Pergo ad nouum maximi item momenti confectarium, quod ex dissertis fuit, et vrgeo, tam imprudenter ac inconsiderate a Socinianis dictum fuisse, quando ad adstruenda incommoda, quibus obnoxia nostra de Christi diuinitate doctrina esset, adsumunt, fidem vnus Dei conuelli per veram Christi diuinitatem: gloriam Dei, vociferantur, tamquam patris, obscurari: aliud, credunt, obiectum
fidei

b) pag. 17. Edit. commemorat.